



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica undecima

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

tati offeramus. Porrò pro illis, quibus natura nostra videtur minùs devota, aut favorabilis, opera totius diei hodiernæ immolemus Crucifixo. Et hoc est rapere violenter cœlum! si non volumus resistere naturæ corruptæ, resister Deus. Heu! & hoc quâ violentiâ, ira, rigore, furore?

## Dominica XI. post Pentecost.

### EXHORTATIUNCULA I.

**M**iracula quis nescit Christi Jesu? hæc ne cui dicerent Apostoli, præcepit in hodierno Evangelio Dominus. O fili! si Dei Filius jactantiam fugit, & elationem: Quomodo nos affectemus? qui elatus est, sedet in cathedra pestilentiæ, éstque discipulus cadentis Luciferi. Et hunc nos sequi?

#### *Instructio meritoria.*

Superi avertant! *elatum cor*, ait S. Bern. *expers est pietatis, & compunctionis.* Contrahamus sanctam consuetudinem ad laudes humanas erubescendi, & ad alienas cordialiter gaudendi, eâsque ampliandi. Laus propria sordet: Nec  
adu-

adulator hanc promover. Non attendamus, ne virtus periclitetur. Ut in simplicitate cordis serviamus Deo, insurgente motu propriæ complacentiæ statim flectamus, & Psalmum 130. *Domine! non est exaltatum cor meum &c.* recitemus addendo pro clausula frequentius nobiscum repetenda: *Te decet Laus, tibi gloria &c.*

II.

**D**Ocet hodie Jesus benè audire, benè & loqui. Heu! quàm infirmi hîc sumus! accedamus ad Christum, ut bonum tribuat auditum pro instinctibus Spiritûs Sancti, & linguam multæ prudentiæ pro cultu Dei, & charitate proximi.

*Instructio meritoria.*

Sanabimur, si multum loqui, & frequentius esse inter homines non amaverimus. Nemo securiùs loquitur, quàm qui libenter tacet, & tempore suo obmutescit. Discretam taciturnitatem, & charitatem fraternam in conversatione exhibendam ut impetremus à Jesu taciturno, nullius hodie interrumpamus:

F

di-

discursum, vel in alterius verba involemus, & antequàm locum conversationis accedamus, coram Sanctissimo s. *Pater & Ave* oremus. Sic socius erit Christus inter pericula.

## III.

**S**urdus, & mutus adducitur Christo. Nunquid repulit? minimè. Expedi, quandoque surdum, & mutum esse. Surdum ad audiendos sermones statim indecentes: Mutum ad proferendos. O si hæc surditas esset in sensibus nostris! quàm quietiores, quàm tranquilliores viveremus in conscientis nostris!

*Instructio meritoria.*

Detrahere, & detrahentem audire, utrumque damnabile est. Cautelam statuamus verbis nostris. Defectus proprios inspiciamus, & aliorum facta nunquam judicemus, aut propalemus. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Circumspectio ô quàm nobis necessaria! ut obtineamus, ad signum salutationis Angelicæ omni devotione, attentione, & humilitate oremus, tribus Ave interponendo petitiones sequentes: *Jesus, qui opera*

opera nostra sanctificet. *Jesus, qui verba nostra ad suum Divinum Beneplacitum disponat, ac dirigat. Jesus, qui omnes cogitationes sibi attrahat. Capiat memoria Jesu devota!*

Dominica XII. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

**H**Omo quidam incidit in latrones. Infelix casus! expectat & nos. Jam latrones imminent vana gloria, propria complacentia, elatio, & superbia, quæ non rarò actus & thesauros deprædantur virtutis. Fili! non timebimus? sine Deo incedemus? sensibus & carni serviemus?

*Instructio meritoria.*

Qui thesaurum suum publicè portat in via, deprædari desiderat. In Ecclesia oremus non cum sibilo, altis suspiriis, insulsis tunctionibus cordis, sed in compunctione, & recollectione mentis. Sic nostra odiosa nemini erit devotio. Novies recitemus Canticum *Magnificat*, & ad præcipuas actiones repetamus Davidis tesseram: *Non nobis Domine! non*